



MArquardus natus est anno 1529, patre Conrado à Hartstein equite aurato, ac matre Agatha Schenckin à Schuueinsperg. Hic cum felici ingenio et optima indole esset præditus, parentū consilio operam literis dedit, & prima artium fundamenta in patria iecit. Cum autem ardēti literarum studio flagraret, sese hinc inde ad academias contulit, atq; Moguntiæ & Louanij professores audiuit, ac plurimū ibidem profecit. Ab ijs locis Friburgum Brisgaudiæ peruenit, & suam eruditio[n]ē plurimū auxit. Accedebat & uitæ integritas, ac morum innocentia. Itaq; in Spirensis Ecclesiæ collegium adoptatus fuit. Cum inter eos canonicos honeste uiueret, anno 1555 scholasticī dignitate exornatus est. Paulo pōst quoq; Præpositus, & mox Coadiutor eligitur. In hoc genere uitæ, annis & non prudentia iuuenis, res sibi commissas magna diligentia expediuit, atq; suis uirtutibus reliquis exemplo fuit. Hinc factum ut post Rodolphum à Fräckenstein Episcopum Spirensem anno 1560 omnium consensu præsul declaratus fuerit, anno etatis 31. Eam functionem ipse magna laude administrat, & literarum patronus existēs, eas iuuare & promouere præclarè nititur. Itaq; me anno mille-simo quingentesimo sexagesimo quinto Vdenheimum (ubi suam curiā prope Spiram habet) uenientem benignè suscepit, atq; Latinè de meo instituto mecum cōtulit, & summopere approbavit, idq; tanta sermonis uenustate, ut hanc eloquentiam & facundiam in præsule admiratus fuerim. Eodem quoq; die, quæ erat calendis Maij, Spiram cum Cæsareo Legato discessit, quo acta Cameræ Imperij inuiseret, & ut omnia ordine peragerentur, Cæsaris nomine curaret, quam functionē Marquardus etiam aliquoties antea ob raram prudentiam & iudicij acrimoniam, sine alicuius inuidia egregiè obiuerat. Itaque dignus est, ut ob multas corporis & animi uirtutes magnis Germaniæ uiris adiungatur. Anon.